



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Lucii antiquissimum olim Benedictinorum monachorum, ..., extra muros
Churensis apud Rhetos urbis, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

humanitate nemini secundus. Præsudet is hoc adhuc corrente Jubileo, insignis Bibliothecæ collector & coemtor studiosissimus.



*S. Lucius,
primus
Rhetorum Apo-
stolus.*

S LUCII antiquissimum olim Benedictinorum monachorum, postea Præmonstratensium cœnobium, extra muros Churensis apud Rhetos urbis, post Cathedralē Basilicam in umbilico ac declivi vitiferi ac amœnissimi collis situm, S. Lucii, primi Rheticarum provinciarum Apostoli, ac à Rhætorum præfectis trucidati illic tandem martyris oratorium initio fuit. Quando vero cœnobium fieri cœperit, aut à quibus sit donatum vel constructum, id in oblivionem venit & in fastos à nemine relatum est. Sepelitur in ejus templo (ut vetus cryptæ inscriptio testis est) Valentianus, septimus Churæ Rheticæ Episcopus, qui primus fortassis monachos Benedictinos in hunc locum collocavit, videturq; coætaneus fuisse S. Benedicti Abbatis & monachorum omnium patris primarii. Conversum est vero in Præmonstratensium monachorum domicilium tandem annum Christi circiter 1140. ejectis inde lascivientibus & luxuriantibus Benedictinis monachis, a Conrado, Comite de Bibregk, Churiensis Ecclesiæ Episcopo tricesimo octavo, qui è Rogkenburgenfi, à parentibus suis fundato in Suevis cœnobio accerferat monachos instituti Præmonstratensis ad reformandum hoc S. Lucii monasterium. Hoc nostro tempore Xenodochium est & pauperum ægrotorumq; receptaculum, traditum nuper à Rom. Pontifice Paulo III. venerabili ac clarissimo viro, Domino *Bartholomæo de Castromero*, Canonico ac Decano majoris Ecclesiæ Churensis, sedisque Apostolicæ Protonotario, in cujus gratiam tale aliquando lusi de hoc cœnobio Idyllion heroicum:

*Cœnobium vetus est antiquæ admoenia Churæ
Colle situm, qui vitifer omni est parte, merumq;
Procreat eximium. Quod quis fundaverit olim
Primus, vix aliquid certi dicitaret Apollo.
Hoc certum tamen est, quod quidam Lucius illic
Vir sanctus (plebem Christi qui verba docebat)*

Vixt.

Vixerit, ædificans primum domicilia parva
 Atque angusta sibi, tumido cum pulsus ab Istro
 Bojorum ruditate, ad Rhetos venerat exul.
 Sed quis Lucius hic fuerit, quo sanguine cretus,
 Ex qua gente, potest mihi disceptatio oriri.
 Sunt, quibus ille satus credatur gente Britannæ,
 Regis filius, Emeritæ fraterq; puellæ:
 Quæ tamen est & habetur tantum fabula doctis.
 Sunt alii, quorum sententia sanior esse
 Creditur: hi (quod Lucius hic Gyrenaicus ejus
 Filius extiterit senis ingenuiq; Simonis,
 In cruce qui Christum gestanda juverit olim)
 Affirmare audent: namq; is pia dogmata Christi
 Sparsit apud Bojos primus, qui pulsus ab illis,
 Rhetorum sibi sub montanis condidit exul
 Exiguam sedem, Christum in qua rursus, ut ante, est
 Concionatus: ab ipsa donec plebe feroci
 Ingratq; & nec Christo credente, sub ipsa
 Martiola arce trucidatus, quoq; sanguine Christum
 Testaretur, & æternum Dominumq; Deumq;
 Esse, & ab æterna meritis nos solius hujus
 Morte ac perpetuis à flammis esse redemptos.
 Istius laris Abbatum non integer extat
 Amplius ordo, ut is antiquis intercidit annis.
 At nunc, Pontificis natu, ipsi præsidet heros
 Bartholomeus, honorata de gente creatus
 Castro Murense, Churensum in æde Decanus,
 Ingenio magnus, doctrina major & usu
 Multarum rerum, scribensq; loquensq; latina
 Non trivialiter omnia, quæ dicenda etiam amplo
 In doctorum hominum coetu sunt atq; senatu:
 Ut senio venerandus, ita & pietate & honesti
 Atque æqui studio nulli toto orbe secundus,
 Nestoreos donet placidus cui Jupiter annos.

Ex Ra-
 tisona
 videlicet,
 ubi con-
 cionatus
 est Chri-
 stum.

D. Bar-
 tholome-
 us de Ca-
 stro Mu-
 ro.